



**Nicodemi Frischlini pro causa Martini Lutheri, et Polycarpi
Leyseri, totiusq[ue] Brunsvicensis ministerii, adversus
Michaelum Mascum, Syndicum, aut potius Rabulam
Brunsvicensem, oratio**

<https://hdl.handle.net/1874/421058>

ju

NICODEMI FRISCHLINI

PRO CAUSA MARTINI LUTHERI, ET POLYCARPI

Leyseri, totiusq; Brunsvicensis Ministerij, aduersus Michaelum Mascum, Syndicum, aut potius Rabulam Brunsvicensem,

ORATIO.

ACCESSERVNT ALIQVOT ELEGIAE eiusdem, de eadem re: quarum vna in Ioannem Majorem, Poetam inuilem, maræologum virulentissimum.



VRSELLIS,
Ex officina Nicolai Henrici.
M. D. XC.

NICODEMI FRISCHLINI
LECTORI PIO, FRISCHLINVS S.

Utrix ista mei, at simplex oratio veri,
Nata mihi biduo, Lector amice, fuit.
Non hanc irato dictavit vitrea bilis:
Iusta sed hæc nobis induit arma dolor.
Si mihi cessaret Mascus maledicere: quiq;
Istius Masci dicta nefanda probant:
Pristina iam dudum coijsent vulnere: quæ nunc
Vana cicatricem ducere lingua verat.
Iudice si Mascus te, candide Lector, honorem
Integrare suum, quem scidit ipse, potest:
Victor erit: si non, victori cedere victus
Debet: ut hac pœnam conditione luat.



Magnopere vellem, aut percuperem potius, Micæele Masce, tu aut maiorem senatus Brunsvicensis, aut certé tui ipsius rationem habuisses, quàm abs te factum esse, non sine magno animi dolore, et ego, et complures alij mecum, etiamnum percipimus. Quæ enim res fuit, aut quæ causa, ob quam tu Senatum Brunsvicensem, ad 4. Non. Augusti, anno præterito octogesimo nono, supra millesimum quingentesimum, tuis in me atrocissimis furijs incitares? Aut quid ego absens in Hafsia, potui Brunsvigæ committere, ut tu lictores in domum meam ad me, qui illo die reversus fueram, non secus, ac maleficum, et consceleratum hominem, capiendum, atq; in vincula conijciendum, immitteres? Aut quid vis tibi, Masce, quod non solum Brunsvigæ, de hoc facinore tuo, quasi de re bene gesta, gloriari soles, sed quod etiam literis tuis Dresdam et Lipsiam, atq; in alios locos longe latèq; disseminatis, nomen meum denigrare & innocentiam meam labefactare nusquam desistis? Nam in quod vitæ, famæ atq; existimationis periculum me conieceris, etiam apud externos et reliquos Germaniæ principes, de hoc vel Marpurgensis Academia, vel Ioannes Maior professorissimo Carmine, testis esse poterit. Quo etiam nomine hanc defensionem parare invitatus cogor. Mallet enim hoc scribendi labore non tam tua, quàm aliorum hominum, præsertim amicorum, causa supersedere, nisi hûc me extrema necessitas adigeret. Quod enim Brunsvicensibus tuis licuisse putant aliqui, idem sibi quoq; in me, et meos licitum esse arbitrantur. Itaq; fortuna mihi ferè eadem est, quæ solet esse proscriptorum in imperio. Protestor autem tum coram omnibus Imperij statibus, tum inprimis coram Illustrissimo Brunsvicensi Duce, D. Henrico Iulio, eiusq; consistorio provinciali, quod hac oratione & voce mea publica, nihil quicquam, vel de causa mea, et actione forensi detractum, vel de auctoritate iudicis deminutum velim. Meum enim jus, quod contra Senatum tuum habeo, Masce, volo illic esse integrum, & præiudicij aliorum hominum nihil vel iudici, vel actori decedere. Si enim omnes, qui isthæc lecturi sunt, tuam audaciam condemnabunt, quanto magis eandem damnabit iudex ordinarius? Neq; est, vt tu dicas animo diffamandi te, isthæc à me pro-

minare: tuum enim te facinus, et perpetratum in me scelus, diffamat. Sed quando jurisconsultus es, et præfidis tuæ scientiæ legum, & tuo Stylo, agé congregare mecum: & tuam innocentiam demonstra, intra parietes Germaniæ, et subfœllia Christiani orbis. Si enim potes odia hominum declinare, atq; in me derivare, hoc facilius causam senatus tuus, adversus me, in consistorio provinciali obtinuerit, et tunc te ipsum, ab omni culpa liberaveris. Meam enim conscientiam rectè dætorum, et factorum, qua sola fretus sum, longè præfero omnibus tuis rubricis, omnibus glossis, omnibus omnium Bartholorum & Baldorum responsis. Quid enim dicam ego, de meis in Rempubl. & in scholas vestras notissimis meritis? quid de vitæ, apud vos actæ, perpetuo cursu?

Etenim ante meam discessum in Hassiam, cum resignassem provinciam meam Scholasticam, & dimissionem quoq; impetrassem, nulla unquam de me orta fuerat querimonia, nihil à quoquam desideratum in meo officio: nullæ simultates audite inter me, & collegas: nulla in me ab alijs neq; à me in alios suscepta unquam fuerant odia. Nam si Ecclesiasticos homines, & sacros antistites, qui Brunsvigæ sunt, audire velis, eam inuenies animorum conjunctionem, quæ inter me, & illos semper fuit. ut illi me non Scholasticum Rectorem, sed Ecclesiasticum fratrem, apud se habuerint: sin collegas non meos tantum, sed aliarum quoq; Scholarum magistros ac præfides, de me interroges, neminem reperies, qui Frischlinum non amaverit, coluerit, & magnificerit. Neq; enim quisquam illorum est, qui ullam unquam à me contumeliam, aut ullam iniuriam acceperit. Quod si etiam discipulos meos quæras, non illi me Præceptorem sibi, sed patrem, neq; se discipulos mihi sed filios, fuisse dicent: cum ipsi paterna sint usi apud me disciplina, & ea institutione in literis, ac moribus, cuius aliquando fructum in Ecclesia & Republica poterunt percipere. Et quis unquam ex omni Senatorum aut civium numero fuit, qui verbo aut facto à me læsus sit, toto illo tempore, quo Brunsvigæ vixi? Quid enim? annon viri in Republica vestra summi, imi, mediocri, ad sua me invitarunt conuiuia, et ad suas epulas, & ad suas nuptias: an non è mea conuer-

conuersatione voluptatem perceperunt omnes; molestiam
nemo? annon in uotis & ore omnium fuit, ut optarent diutius
me secum retinere, & si è re mea esset, uel amplificato stipendio,
ad extremum usq; uitæ habitum mea uti opera, meoq; labore,
in erudienda iuuenture, in propaganda re literaria, in exornan-
da schola, in promouendis Ecclesiæ Reiq; publicæ clarissimæ in-
erementis? Quid, quòd tu ipse mea familiaritate plurimum de-
lectatus es semper: nisi fortasse mentito vultu, aliud simulabas
verbis, & aliud occultabas virulento pectore? Nam ut de alijs
nichil dicam, nonne tu unus fuisti, qui operas meas scholasticas,
& meam industriad ac fidem, qua in instruenda iuuentute ute-
bar, passim apud omnes predicare consueueras? Et quoties unà
conuersati fuimus perquam familiariter, et collocuti de rebus
serijs, iocosisq;? Hæc enim causa fuit, cum ego Christianissimi
Iurisconsulti, Ioachimi Mynsingeri mortem versu deslerem,
quòd in eo Epicedio, te potissimum mihi appellandum puta-
rem. Credas igitur mihi, uelim, prius ego è uita maluissem ex-
ire, quam ab amicitia ista recedere, quam semel tecum iniueram.
Nihil enim hæc consuetudine fuit mihi gratius Brunswigæ, nihil
antiquius. Quod si etiam persuadere mihi quispiam uoluisset,
te aut occulto esse, aut manifesto fore in me odio, citius Solem è
cælo lapsurum, quam isthuc futurum credidissem. Quæ igitur
res est, quæ tam subito potuit, & tuum, & Senatus omniumque
ciuium animos immutare? Equidem paucis diebus antequam
renuntiasset muneris meo scholastico, fuerat mihi libellus ob-
latus, à quodam sculptore & pictore, ciue vestro, isq; admodum
famosus: què tunc hæredes Vesebecciani, & Academici Vuireber-
genes, sub nomine M. Sebastiani Gobleri, Silesij, popularis qui-
dem tui, sed hominis, aut in rerum natura nullius, aut certè ob-
seurissimi, in lucem ediderunt: vsi ad eam rem opera Ioan: Cra-
tonis librarij: qui libello à se edito, nomen suum præponere non
fuit ausus: Cum in eo nihil contineatur, præter atrocissima quæ-
uis conuitia: quibus proscinditur religio Ecclesiarum & Schola-
rum Brunswicensium, labefactatur Senatus vestri autoritas, ele-
uatur ministerij Ecclesiastici & Scholastici fama atque existima-
tio, extenuatur Chemnitius: ridentur Selneccerus & VVestpha-
lus

lus: exagitur Polycarpus: contumelia afficitur Lutherus. Quid enim possit acerbius dici in Senatum & ciues, quàm esse eos viros stupidos, abiectos, & insuper rebelles, qui se omnibus Imperij Electoribus, & Principibus opponant: qui illorum Religionem, Ecclesias, & Scholas, indefinenter calumniantur: qui ab Augustana Confessione ad nouas hæses recesserint: Qui in Ecclesias Euangelicas nouum dogma vbiquitarium, & nescio quem Flaccianisimum inuexerint; qui eos tantum homines ad se pertrahant, & munij tam Ecclesiasticis, quàm Scholasticis præficiant, qui aliorum Principum Ecclesijs & Confessionibus solent assidue oblatrare: qui denique contra fidem moremq; maiorum agant omnia, & à Germanitate auita penitissimè degenerent? Et quid grauius possit excogitari, in tribunos plebis vestra, quàm quòd seditiosi & capitosi, & stupidi dicuntur, vt qui cadespirent ac sanguinem? Nam si ita est, vt dicunt isti populares tui, Masce, quis non videt, omnem ciuitatem vestram esse proscriptam: Omnemq; Senatum & plebem, pro hoste Religionis & pacis publicæ, habendos? Nam ab Augustana confessione recedere, architectari nouam Religionem, nouos comminisci Deos, calumniari aliorum Principum Ecclesias, Confessiones & Academias, hæc non sunt mediocrium hominum, D. Masce. Quid de Polycarpo Leysero dicam, SS. Th. Doctore: nuper Academiae VVittebergensis Professore, & eiusdem Ecclesiæ pastore: nunc verò Brunsvicensium Ecclesiarum & Scholarum supremo anti-
flite, ac summorum Theologorum Merlini, & Chemnicij successore? Nam quid in illum posset dici grauius, contumeliosus, quàm quòd in isto Gobleriano scripto appellatur per conuictum, Epicureus deblasterator & Spermologus; audax præceptorum contemptor: homo leuis, futilis, bardus, perfidus & mendax, cui ne iuranti quidem & idoneos testes producenti, fides habenda sit: corruptor item et deprauator morum iuuentutis: scriptor diobolaris: disputator stolidus asinus, caudex et Beanus: ac vix dignus, qui propter summam ruditatem & inscitiam in scholatriuali toleretur? Quid possit quæso esse tanto viro indignius, quàm dici ipsum circulatorem agyrram, impostorem, transfugam, superbum, inflatum, furem sacramentarium, latronem

nem animarum, patrem inuidæ, Diabolum iracundiæ, qui bellum meditetur sacrum & cædes innocentum animo agitet? De Martino quid dicam Chemnitio: Hic enim non tantum curiositatis accusatur, sed etiam schismatum, in Ecclesia excitatorum, et teterrimæ insuper apostasiæ: Per quam non ipse tantum ab Augustana sincera confessione, ad Raccianismum recesserit, sed alios quoq; Principes unâ secum in easdem salebras errorum pertraxerit. Atq; hunc Chemnitium adeo parui pendunt Vuitenbergenses, vt absq; omni rubore scribant, Philippum Melancthonem plus eruditionis Theologicæ, in vno digitulo habuisse, quàm Chemnitius habuerit, in universo corpore. Quæ quidem calumnia tam atrox est, vt etiam Iesuitis, quos ego audiui, egerrimè faciat, suam enim cuiq; laudem intaminatam solent relinquere, qui homines docti cluent. Quid quod idem iste, in eodem libello insimulatur etiam leuitatis & inconstantia: quasi ipsum facti sui & inita concordia usq; adeo pœnituerit, vt Quedlemburgi propterea lachrymas profuderit?

Hæc si vel tibi, vel tuis socijs, videntur esse leuia, Masce: at non leue est mihi, sicut nec tibi forte (nisi tu omnem patriam religionem pedibus conculcandam esse censes) quod in isto natorum Vuitebergensium scripto Diuus Lutherus, electum illud DEI organum, à suis posteris nequissimè traducitur, ac si ipse in suis libris, Principibus Germaniæ maledicè detraxisset, & de re Sacramentaria, deq; persona filij DEI; multas opiniones prauas & monstrosas in Ecclesiam Dei introduxisset, hominumq; mentes & animos, suis præstigijs nefariè ludificasset. Nam hoc illud acroama est, quo Euangelicæ doctrinæ instaurator, & tertius ille Elias, Martinus Lutherus à tuis Vuitenbergensibus exornatur. Quantum ad me attinet, etsi huius scripti famosissimi auctores videntur de me honorifice sentire, eò quod in scholam meam censent mittendum esse Polycarpum, vestrum antistitem, vt quæ adhuc ignorat, ea ex me potissimum addiscat: Ego tamen is haberi, diciq; nolo, qui summos in Ecclesia vestra Doctores, in schola mea cupiã, aut possim erudire, multoq; minus, quod ibidem petitur, ferula mea in quemcunq; Theologiæ Doctorem, **velim animaduertere.** Has enim docendi castigandiq; partes, cuius

etiam potius relinquam, quam ut eas ipse mihi usurpem. Et quando omnes, qui Brunsvigæ, tam scholis, quam Ecclesijs præsumunt, Flaccianismi & vbiqvismi, si- Eutylianismi, audacissimè insimulantur, quomodo non ad me quoq; spectet Communis ista iniuria? Nam ego, si quisquam alius, ab huiusmodi corruptelis sanæ doctrinæ, & à fanaticis opinionibus quibuscunq; tota mente atq; animo semper abhorruì, delectatus vni- ca, & sola fidei simplicitate, quæ Christo affirmanti & promittenti, absq; omni hesitatione libentissime in rebus omnibus assentitur. Itaq; in schola mea nihil vñquam proposui, quod eum pristina illa confessionis Augustanæ sinceritate pugna- ret. Nam Lutheri & Chytræi vestigijs insistendo, hortator fui discipulis meis, & monitor sedulus, ut sitim illi suam è verbo Dei, & fontibus Israël's restinguerent, Lacunas verò & cisternas aliorum hominum, quantalibet auctoritate pollentium, dili- genter vitarent, tum imprimis à leptologijs & argutijs Caluini- starum, sedulo sibi cavendum putarent.

*hic est calvi-
norum heres*

Magnam igitur fero iniuriam, quòd vnà cum alijs doctrinæ schismaticæ, & Flacciani delirii contra omne meritum reus agor. Ac tamen contra libellum istum, quem dixi, nihil meditari, multoq; minus in lucem aliquid proferre, mecum initio statu- eram, vtrè contumelias istas iniquo, & molesto ferrem animo: quia tamen alij quoq; me urgebant, ut superbissimi Sycophantæ calumnias, Poetica quadam fanna deriderem potius, quam re- futarem: morè ego amicis istis gerendum esse censui: præsertim cum inrelligerem, libro isto non meos tantum collegas, & disci- pulos, sed ministros omnes, & multos quoq; ciues, qui legissent, vehementer fuisse offesos. Opposui igitur libello Germanicè scripto, & valde contumelioso, paucos quosdã rhythmos Ger- manicos: qui, ut aduersarium exponerent lectoris ludibrio, affixi à me fuerunt circulatori cuidã Brunsvicensi, & sannioni publico (nam huius quoq; est defendere Pastore animæ suæ) qui nates Gobleri tui ad numerum præscriptum rubra solea pulsaret. Cur enim ferula castigare Polycarpum, nihil tale promeritum? cur Theologiæ Doctorem, vestri antistitem, meum popularem, Scho- lastica pœna afficerem? cur hanc illi gratiã referrem, qui paucos

ante

ante menses, sua præfatione opus meum Grammaticum; Schol-
lis omnibus commendauerat? Cur oppugnarem amicum, qui
contra inimicos meos, nullo habito cuiusque personæ respectu,
nomen & famam meam sibi propugnanda sumpsisset? Absit a
me, & longe à me absit istud nefas. Satius enim multò fore sum-
ratus, si homo personatus, & subornatus Sycophanta, ab alio,
quem ego subornassem, ridicula quadam pœna plesteretur.
Quod consilium meum, cum nemini bono, in Repub. vestra di-
splicuisset, recitavi ego rhythmos primùm pastori cuidam extra
neo, meo populari, à quo etiam relati sunt in chartam, & missi
deinde ad Polycarpum, vt hinc materiam ipse caperet ridendi
aduersarium. Neque vetò hos rhythmos in occulto habui, sed
multis pastoribus, multisq; ciuibus è charta pastoris, quem dixi,
publicè in conuiuio, joci causâ, recitavi. Cumq; rogarer in fre-
quenti pastorum, & ciuium confessu, vt rhythmos non modò au-
gerem, præsertim eo in loco, vbi innocentia Senatus tui, & Rei-
pub. vestra, vberiore requireret defensionem, & contra crude-
lissimi Sycophantæ acerbissimos morsus, aliquod remedium
præsentius postularer, sed vt etiam, quæ scripta essent, in lucem
emitterem, hoc facilius mihi persuaderi sum passus, quòd omni-
um esset vox atque oratio: quasi ego ista opera mea, summam
apud omnem Senatum, & apud omnem ciuitatem initurus es-
sem gratiam. Non deerant, qui summis à me precibus exemplum
rhythmorum contenderent? quidam etiam auctarij loco nouos
rhythmos de suo adderent.

Ego tamen publicationem nulli volebam annuere, sed vnum
rogabam sculptorem, à quo librum Gobleri acceperam, vt is
Germanicos rhythmos, lingua conscriptos Suevica, in suam &
fannioni Brunsvicensi aptam, transferret, tum si quæ posset ad-
dere, quæ risum lectori augerent, ea ne omitteret, sed nihil ta-
men, me inconsulto publicaret. Cùm enim sculptor iste tan-
tum haberet rei Typographicæ, vt posset quaternionem integrum
excudere, verebar ego, ne (quod postea me absente accidit)
intempestiua quadam festinatione publicaret, quæ nollem:
Nam animaduertentem rhythmos illos homini valde probari, &
aliquoties ex ore ipsius cùm ego, tum alij audieramus: quod

liberum ei esset in lucem proferre, quæ vellet, nemine prohiben-
re: cum se nemini hoc nomine obligatum sciret. Inhibui igitur
editionem potius quàm mandavi. Nam apertè illi dicebam non
posse citra tui, & tui similitum Philippistarum, offensam, euulga-
ri rhythmos istos Brunsvigæ, licet in editionem illorum omnes
Pastores & ciues, qui legerint, & ipse quoq; Polycarpus consen-
tiat. Etsi enim à me flagitatum fuerat, vt vel Vrsellas, vel Fran-
cofurtum, transmitterem rhythmos: vbi etiam Polycarpi Apo-
logia, aduersus hæredes Vesebeccianos, ante annum, me promo-
tore, fuisset typis promulgata, tamen in ea re haud quaquaquam
festinandum esse putaueram. Paucis diebus post digressus
in Hassiam, cum in toto itinere, nunquam recordatus fuisset
istorum Germanicorum versuum, nihilq; minus sperassem, quàm
vt me absente, ederentur: & quidem magno numero aucti, & plè-
riq; etiam peruersi: totum ego ferè mensem domo mea absui.
Incitatus autem interea loci sculptor, vocibus discipulorum
meorum, & quorundam ciuium, qui versus habere auidissimè
cupiebant, cœpit versus istos partim immutare, partim locuple-
tare, ac tandem etiam typis suis collectitijs excudere.
Quid adhuc habes Masce, quod ad hoc vsq; tempus possis
reprehendere, tanquam à me factum temere, aut inconsideratè
aut imprudenter? Nam & iustas habui causas, quæ me impelle-
re poterant, vt crudelissimi hominis probrosissimo libello me
opponerem, etiam nemine me orante: & in hac inepta, planeq;
insulsa versuum promulgatione, extra omnem culpam sum pos-
situs. Qui enim Polycarpum, ab adolescentia amavi, qui unà
Tubingæ, in eadem religione, cum ipso sum educatus: qui Vire-
berge, & Brunsvigæ summis affectus ab eo beneficijs: qui Vire-
primariæ clauum tenebam: qui in ea doctrinam Lutheri Cate-
chetica, animis Scholasticæ iuuentutis diligentissimè inculca-
bam: qui religionem communem, qui senatum, qui ciuitatem,
impediò honorabam: quomodo quæso potuissim æquo animo
ferre tot atrocissima conuitia, tot immanissimas contumelias;
quibus in eo libro, quem dixi afficiebatur Polycarpus, lacebaba-
tur religio, impetebatur Senatus, conspuebatur vniuersa ciui-
tas? An non enim Rectoris Scholasticæ est, famam & honorem
antia

antistitis sui sacri publicè & priuatim, voce & calamo defendere?
annon Christiani præceptoris est, eam doctrinam, quam in Scho-
la proponit, aduersus publicas contumelias tueri? an non fidelis
est ministri, dominorum suorum auctoritatem contra atrocis-
simas iniurias ijsdem armis, quibus oppugnatur, animosè & piè
propugnare?

Quam tu igitur causam ad tuos Dominos asferre potes, Mas-
ce: vt ostendas, aliquid in hoc toto negotio, à me factum fuisse
ce: vt ostendas, aliquid in hoc toto negotio, à me factum fuisse
temerè aut inconsultò? Quòd si peccare est, tueri religionem,
defendere auctoritatem ministerij Ecclesiastici, protegere famã
& innocentiam summorum Ecclesiæ Doctorem, fateor ego, à me
hic peccatum esse maximè. Sin autem hic à me peccatum non
est, vide sis tu Mascè, quomodo extra culpam sis atrocissimi sce-
leris, qui, quod omnes pij ac probi laudi mihi vertunt, tu in fre-
quentissimo Senatu, virio mihitribuendum esse putasti. Neque
enim est, vt publicationem mihi obijcias, perinde ac si meo iussu
ista in vulgus emanauerint, cum ego huius rei culpam nullam
prorsus sustineam, vel ipso typographo teste. Quomodo enim
typis promulgari iussissem, quæ vt describerentur nulli permise-
ram? aut quomodo in manus aliorum peruenire voluissem,
quorum exemplum ipsi etiam Polycarpo, vt taceam de reliquis,
non sine causâ denegaueram? Quomodo item euulgari manda-
sem, quæ prius neq; viderã, neq; legeram, quàm edita essent? Aut
quomodo ea, quæ me absente, adjecerat Typographus, potuis-
sem ego absens approbare? aut quomodo aliquid imperare ci-
ui, in quem nullum erat meum imperium? Quomodo deniq;
impunitatem & indemnitate ei homini promittere, qui neq;
subditus mihi, neq; defendendus fuerat?

Quid, quod accesserant quædam in officina, quæ ego, domũ
reuerfus, non intelligebam? Omitto, quod excuderat quædam
sculptor: quæ cum legere non posset, suam secutus fuit senten-
tiam. Magnam igitur intulit mihi iniuriam homo imprudens:
qui meo iniussu fecit, quicquid fecit. Veruntamen cum in inte-
grum redire non possint omnia, neq; vox emissa reverti, video
iam publicè mihi defendenda esse, quæ aliàs aut per me occulta
mansissent, aut à me reuerso, sicuti statueram, planè fuissent abo-
lita

lita. Quid igitur est tandem, Micaële Masce, quod in istis rhythmis vel te, vel socios tuos tantopere offendit? vtrum ne illud quod Calvinismi insimulatur Academia Vitebergensis? an quod Philippus defectionis à Luthero accusatur? an verò, quod Maij, & Ipdoci, Theologjæ D.D., vestes & orationes, atq; conciones, non nihil subsannantur? Magna est, fateor, magna non Philippitantū, sed etiam Academiæ illius, propter Luteri & Philippi nomina, autoritas: & graue est, dici apostatam, & transfugam. Sed audi tu Masce: vtrumne tu Academiam, quæ Lutheri libros damnat, quæ Lutheranos Doctores exterminat, quæ Gobleriano & supposititio scripto, sententiã Lutheri de sacra cœna oppugnat, & Caluini dogma probat, vtrūne, inquam, tu eam Academiam pro Calviniana non habendã esse censeres? Quid? vtrum Caluinus tibi est mendax: qui de Philippo adhuc viuos, ausus est scribere, ipsum à sua Caluini mente nusquam delectere: neque viscera Philippi tam Philippo adherere, quã Philippus adherereat Caluini sententiæ?

Philippus
Equidem in Caluini sententiam, de persona Christi, & de S. illius cœna, Philippum manibus ac pedibus concessisse, non ipsi tantum Philippistæ, Strigelius, Bezelius, Peucerus, & tuus iste Goblerus apertissimè testantur, sed aliarum quoq; religionum cultores hoc idem latissimè fateantur. Nam quod de Philippo vestro scripsere, aut nunc olim Vuigandus & Heshusius, & Merlinus, aut hodie Selneccerus, Pappus, Hunius, & Theologi Vuirtebergenses vno ore omnes: hoc in rhythmis meis obiter tantum attingitur? Quid? tu ne aut VVolfgangum Ederum, aut Goblerum tuum argues hoc loco mendacij, Masce? An non enim VVolfgangus Ederus, in sua Autonomia, de Philippo scribit, quod ab Augustana confessione, ad Calvinismum defecerit? an non Goblerus disertè affirmat, Philippum triginta annis, ab exitu Luteri, in doctrina religionis profecisse, & multos in scriptis illius crassissimos errores, de persona & cœna Christi, deprehendisse: ac proinde synceriores esse Melanthonis, quàm Lutheri doctrinam? an non idem Goblerus expressis verbis aperte fateatur, Philippum & Camerarium Calvinistis esse annumerandos? an non Illustrissimus Elector Palatinus Fridericus, omnes Eccle-

Ecclesias suas, de consilio Philippi, reformauit, & eiecta Lutheri doctrina, Calviniano Catechismo locum dedit? Perfrictæ igitur frontis oportet eum esse hominem, qui, quæ tot sum morum virorum scriptis sunt comprobata, & publica voce testata, tam impudenter ausit negare.

Sed tu conuictum esse dicis, vocari aliquem Cinglianum aut Calvinistam, perinde ac si isto nomine, nemo possit citra contumeliam appellari. Hic ego scire ex te cuperem, qua auctoritate tu possis istud confirmare, quod in tanta religionum diuersitate distractis hominum sententijs, contumelia sit, discipulos insigniri nominibus eorum, quos in religione, & doctrina sectantur. Quasi verò citra ignominiam, aut iniuriam, nemo possit dici hodiè Ramista: qui quidem P. Ramum sequi malit, quam Aristotelem: aut quasi ignominiosum sit mihi, dici me Philosophum Aristotelicum, aut Theologum Lutheranum: quia hunc in Theologia, illum in Philosophia sequor. Quod enim obijcitis, odiosa esse ista vocabula, & Christiano nomine appellandos omnes, si esse ista vocabula, & Christiano nomine appellandos omnes, qui se Christianos dicunt: facitis vos Iurisperiti, vt intelligendo nihil intelligatis. Si enim omnes eos pro Christianis habebitis, qui eos sese prædicant, & qui dicere solent, Domine, Domine, quid quæso istis Theologorum rixis & contentionibus est opus? Nam si Pontificij æquè sunt vobis Christiani ac Calvinistæ, cur vestri homines pacem non petunt in Gallia, & clypeos abiciunt in Belgio? Quàm enim citò pax coire illic posset, & quantum sanguinis comparci: si vos Pontificios in Gallia & Belgio, pro Christianis haberetis? Sin autem nos Lutherani itidem vobis Christiani sumus, vt Cingliani & Papistæ, cur obsecro vestri homines nos damnant? Cur religionem nostram auersantur? Quod enim exempla Apollus, Cephæ, & Pauli obijcitis, hoc nihil ad rhombum facit. Non enim idem est Spiritus, eademq; religio Patre, Luth. & Caluini, sicut Apollus, Cephæ & Pauli. Et quæso te, homo suavis, potin es tu aliquam Imperij constitutionem proferres in qua publicè sancitum sit, vt in posterum tempus, diuersarum religionum tituli pro iniuriosis habeantur nominibus: quorum causa vnus possit alteri licet, in foro intendere? Quid enim? An non in omnibus omnium Theologorum scriptis & libris, isthæc

reperiuntur nomina? an non in ipsis Camera Imperialis processibus, vsu recepti sunt isti tituli? Quis tu igitur vir es, Masce: qui omnia quorumuis Theologorum scripta, ausis proclamare, pro libellis famosis: quia scilicet talia in ijs passim occurrunt nomina? Quis Iurisconsultus es, qui pro ignominiosis habes, quæ in vsu Camera Imperialis venerunt?

Nam si ita est, vt vos dicitis, quomodo quæso tu, & socij tui crimen perduellionis effugietis, qui Cæsarem, qui Reges Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, qui Archiduces Austriæ, qui Duces Bavariz, qui Electores Ecclesiasticos, palam dicitis Pontificios & Papistas? aut quomodo tandem non obnoxius erit crimini læsæ maiestatis, Senatus vester: in quo nemo est, qui Palatinum Rheni Principem, Casimirum non libenter fateatur esse Cinglianum, aut Calvinistam? Tuis scilicet Philippicis fas, licitumq; est, conuictari nobis, & apostatas appellare, & Lutheranos, & Flacianos, & vbiq; uariatos, & quid non? Hæc enim contumeliosa vobis sunt nomina. At nobis hæc mussitanda sunt iniuriæ, & æquo deglutidam animo, quicquid in nos euomunt Vuitebergenses tui. Nam si quis se illorum audaciæ opponat, continuo audit Philippomastix, insectator Academiæ, calumniator Electoris, reus perduellionis, homo capitalis, & quid non? Hæc nimirum artes sunt vestræ, hæc technæ: quibus hodie in opprimenda Lutheri doctrina, vti soletis Philippistæ.

Quantum ad me attinet, neminem ego odi, qui diuersum à me in religione sentit: suæ enim cuiusq; conscientiæ cultum Dei relinquo intactum: & quod aliqui Calvinum plus amant, quam Lutherum, hoc affectui cuidam tribuo; qualis plerunq; solet esse in filijs erga parentes, tam Spirituales, quam corporales, & in illos ferè quam in hos ardentior. Itaq; ex illis, qui Calvinum in re Sacramentaria malunt audire, quam Lutherum, amicos habeo quam plurimos, & intimos: quibus cum etiam facta testata mihi manet amicitia, quãtis per illi abstinent à Goblerianis conuictijs. At quam primum cœperint isti conuictijs proscindere Lutherum, Brentium, Chemnitium, quos ego vt parentes veneror Ecclesiasticos: statim dissiuitur fraterna inter nos gratia, & familiaritas. Liquido igitur hic iuro, quod istis vocabulis, & titulis diuersarum
religio

religionum, non utar hic, in ullius hominis, sicut neq; in mei
ipsum contumeliam, quando non recuso dici Lutheranus, pro-
pterea quod Lutheri sententiam, de re sacramentaria, longè præ-
fero sententiæ Caluini.

Sed video, quid te mordeat potissimum, in istis rhythmis,
D. Masce. Accusatur Gobleri, hominis Silesij, tui popularis,
magistratus, quasi is doctrinam Lutheri de S. cœna & persona
Christi auerteret: & quod Philippi sententiam, quæ Calviniana
est, sententiæ Lutheri præferat: & quod à paterna auitaq; reli-
gione, ad Calvinismum defecerit. Quid tu ad hæc Masce?
Negas scilicet, isthæc Vuitebergensibus verè à me objecta esse?
At ego paratus sum, è libro popularis tui Gobleri, tam clare ista
demonstrare, quam clarè est, ubi sudum est, ipso meridie. Quod
autem cauillaris tu, per magistratum hominis Silesij, & Acade-
mici, neminem posse alium intelligi magistratum, præter Illu-
strissimum Saxonix septemvirum: perinde ac si idem prorsus
sit, gerere magistratum Academicum, aut Vuitenbergicum, aut
etiam Silesium, quod est, esse Ducem Saxonix, & imperij Electo-
rem, in hoc ita sanè desipis, ita deliras, vt tui me non possit non
summoperè per pudere, Nam personam sustinere magistratus A-
cademici, idem esse, quod est, esse septemvirum Imperij, Dic
aliquem sodes, dic Quintiliane colorem.

Quod si Illustrissimum Electorem, pro Calviniano habere-
mus, cur in rhythmis sola Vuiteberga Calvinismi insimulare-
tur? Cur non etiam Torga, & Dresda, & Lipsia & ceteræ ciuita-
tes, atque omnis Misnia? Quod enim aliqui curiales & socij tui,
gratia Principis istius ad libidinem animi sui abutuntur, quid
istud ad nos attinet? Habent hunc morem versuti homines, vt
honesto quodam integumento, fraudes & imposturas suas ve-
lent: ne quo temerario iudicio semet ipsos, tanquam sorices, pro-
dant. Itaq; persuasum est ab illis optimo Principi, nihil aliud his
machinationibus quarj, præter pacem publicam & tranquill-
ratem Ecclesiarum ac Scholarum: quæ nouo concordix libro sal-
uo, salua esse non possit. Persuasum est, sublatis è medio conui-
tjjs & nominibus probrosis, ceu sunt, dici aliquem Calvinistam
aut Cinglianum, aut Sacramentarium, quàm optimè consultum
fore

fore omnibus Ecclesijs, & Scholis. Quasi verò sapientes in Rep.
gubernatores, pliq; doctores nõvideant, quæ impostura sub ista
larua latitet. Vbi enim citra conuitium, non possunt nominari
Caluinistæ, quomodo citra periculum, poterunt illorum errores
& corruptelæ reprehendi, & refutari? Medius igitur tu Masce pri
us crepabis, quàm demonstrare possis, in rhytmis vel tantillum
esse, quod Septemviri Saxonici nomen, aut personam impetat.
Quid enim & ipse ego, de isto Principe sentiam, & quid alios de
eodem sentire velim, an non tute é meo quodam carmine Pane
gyrico percepisti: quod ego de quinq; Saxoniz Ducibus feci, &
in magna studiosa iuuentutis frequentia, Vitebergæ abhinc trien
nium publicè recitauit?

Gratum tamen est Pontificijs audire, quod nemo iam dein
ceps, in Electorali Saxonia, citra capitis periculum, aufit defen
dere Lutheri doctrinam, de re Sacramentaria, contra Caluinũ:
multoq; gratius ijsdem quod Academia Vitebergensis libros Lu
theri, de re Sacramentaria, excusos Vitebergæ à Mathæo Vela
chio, damnauit (proh pudor) & (ò immortalem Deum) put licè
proflare vetuit: longè verò omnium gratissimum ijsdem, quod
é carmine I. Maioris, nebulonis perditissimi, intelligunt, Luth
eri sectatores, & defensores, à Saxone Electore, vnà mecum in ro
tas & furcas esse tollendos. Iam enim sciunt, quibus supplicijs
afficiendi sint, quicunq; Rom. Pontificem dicunt Antichristum.
Quare etiam breui fore confidunt, vt collapsa Lutheri autorita
te, præsertim eo in loco, vbi initium cepit, paulatim redeat in
integrum Papæ autoritas. Vbi igitur vestrum illud tonitru:

Pestis eram viuus, moriens ero mors tua Papa?

Scilicet ubi libri, à Lutheri scripti sunt, ibi fas est hodie, ut pu
blicè arguantur impietatis & blasphemiz. Marti animis, sic agi
te Vitebergenses: & magnam Papatui exitium dabit: si Dijs
vestris nouis bene placuerit. Verùm tu Masce in Senatu, etiam
hoc affirmare es ausus: quod rhythmis istis aliud nihil queratur,
quàm vt Saxo Elector aduersus omnem Senatum, omnem ciui
tatem vestram, odio per me inflammetur. Nam toti Reip. dice
bas imminere periculum, propter sannam hanc Poëticam. O os,
& frons, Vbi, quæso, est conscientia tua, Masce: utrùmne Iouem
Homeri-

Homericum secuta, ad Aethiopus commestatum abiit? Ego certe liquidum possum iuramentum iurare, quod Illustrissimus Elector Saxoniae, neque mihi, neque alijs in mentem venerit, cum de Gobleri magistratu mentio incidisset. Scimus enim, per quos homines isthaec negotia gerantur omnia. Neque ego prius unquam adduci potui, ut crederem, Saxonice septem virum, studere Philipismo & Calvinismo, quam isthaec est Iohannis Maioris famosissimo & probrosissimo carmine cognovissem, cui quantum fidei sit tribuendum, Elector ipse viderit. Quare teterrimum calumniatorem te esse oportet, Masce: qui contra omnem conscientiam tuam, verbis meis sensum animi tui admentiri non reformidasti. Plura ut pro me asseram, nihil est necesse. Tam enim foeda est haec calumnia, ut se ipsam subvertat. Quod si tamen vos vestros Vuitebergenses tanti facitis in senatu vestro, ut nemo Brunsvicensis se illis ausit opponere, nisi videri velit ipsum Electorem impetivisse: cur quaso antehactam lata & ampla fuit istis hominibus conscientia: ut Chemnitio & Merlino, non injecerint frenum? Hi enim laxatis habenis in Vuitebergenses inuecti sunt. Nunc autem nova, ut video, istos Brunsvicenses tuos incessit religio. Nunquid Masce? Quia enim tu Vertumnus quispiam es, qui & isti Accademiae simul, & Senatui tuo placere studes, facile reperire potes, quod vel in hanc, vel in illam, vel in utramque partem, te transuersum abripiat. Sed offenderant te, ni fallor, etiam collaria & pallia phantastica, Iodoci & Magij Doctorum: quae in rhythmis à me sugillantur. Nam Vuitebergici tui, tibi sunt quasi quidam Christi, quos nefas est sannionis manibus attrectare.

At obsecro te, mi vir, cur non etiam offenderis probroso Polycrussi nomine quo Vuitebergenses tui, sacrum tuum antistite, D. Polycarpum solent per conuivium dedecorare? Vobis scilicet licitum est, & fas, alijs exprobare cum contumelia vestes, & quae res per se nihil in se probri habent. Nobis vero capitale est, si quid in vobis, etiam sine calumnia, & cum veritate reprehendimus. Sed bene habent ista: veniendum est aliò. Crimini datis Polycarpo, quod funebri oratione mortem Achatij Velthemij, & Friderici Schulemburgij ornarit, Nam hoc est, quod neglecti accusatur muneris, quod commissa rapinae, quod sacrilegij. In

tercia vero piaculum sit mihi, ridere orationem Henrici Maij, de

grandiori vespa Sangerhusana: & taxare miserabiles viri istius
conciones; quibus propter infultatam, auditoribus suis sctum
mouere solet. Verum & isthæc transeant cum cæteris erroribus.
Nihil enim adhuc deprehendere in rhythmis potuisti, quod vl-
lius contumeliæ, aut iniuriæ, in quenquam hominem, vllam ha-
beat speciem. Quo tu igitur ore, aut qua fronte ausus es rhyth-
mos, in Senatu diffamare, tanquam libellum famosum, aut con-
tumeliosum? Nam quod nomen meum rhythmis præponendū
fuisse affirmas, primū scire debuisses, quod rhythmi isti non
fuerint à me, eo consilio scripti, vt in lucem hominum ederentur.
Quin imò, si maximè hoc consilio scripisssem, vt exirent in
vulgus, nihil tamen peccassem, quod partes respondendi, meo
nomine quasi dissimulato, tribuisssem homini personato. Quæ
enim lex prohibet, homini personato, opponere aliam persona-
tum: vbi de veritate cælesti agitur in theatro orbis? aut quod ius
vetat, tenebrionis & Sycophantæ mendacijs, opponere verita-
tem, etiam sub ficta persona? Salomo rex sapientissimus legem
tulit, vt stulto & impio respondeatur secundum stultitiam, ne
videatur sibi sapiens & pius. Tu verò, Salomone sapientior, vis,
vt impio & stulto Sycophantæ Goblæ, respondeatur secundum
iuris tui ciuilis prudentiam. Vis enim, vt cum illo agatur, sicut
cum viro bono: quod lex de famosis libellis iubet. Ore stultum
& bardū. Nam crede mihi, sapere est, non nimium sapere: quip-
pe cum desipere in loco, interdum sit summa sapientia. Deinde
verò non ignorabas tu, quod lesti à me essent rhythmi infrequen-
tibus conuiujs, ita vt auctor illorum neque peruerit, neq; volues-
rit Brunsvigæ latere. Quomodo igitur puduisset me nominis
mei, si omnino aut edere voluisssem rhythmos, aut illorum pro-
mulgationi præsens affuisssem: quæ non puduit in publicis conui-
uijs inter doctos, & honestos viros, recitare rhythmos pro meis?
Præterea cogitandum tibi fuerat, esse editos, me absente in
Hafsia: qui si præsens affuisssem, tunc aut editionem prohibuiss-
sem, aut totum scriptum vna litura emendasssem: aut nomen ap-
posuisssem: aut sine consilio, cum alijs communicato, nihil actu-
rus fuisssem. Quid verò si additum fuisset nomen: vtrum tu Mas-
ce propterea scriptum istud pro infami non fuisses habiturus?
Vix arbitrator, Nam vel hanc ipsam orationem, cui nomen meum
vides

vides præpositum, tu famositatis accusare non dubitabis. Quomodo igitur à tuis Sycophantis tui fuissent ihytmi mei, etiam si nomen meum præ se tulissent? Quid quod Goblus tuus affirmat, concionem funebrem D. Polycarpi, de morte D. Vuesebeccei, reuera nihil aliud esse, quàm libellum famosum? Atqui Polycarpus ni fallor, nomen suum isti concioni apposuit. Quomodo igitur libellus erit famosus? Quare toto aberras cælo, Mascæ: quod propter absentiam nominis mei, scriptum meum, pro famoso libello tam impudenter senatui tuo inculcare non cessas.

Verùm enim uero omisis istis, quæ me vel sola possunt excusare, vrgebo ego te aliquanto propius, & quàm bellus sis leguleius, iam iam monstrabo omnibus: ut qui te non norant ante hac, ijs per me reddare notior. Libellum enim famosum esse, quomodo tandem probabis, in quo verbū contumeliosum non est, neque iniuria dicta in quenquā: & ubi animus est defendendi religionem patriam, & Senatū, & ciuitatem, & totam Rempub. neq; vllum cuiquā nocendi studium? Sed putas ne tu Mascæ, quemlibet libellum, quocunq; consilio scriptum, esse famosum: cui nomen auctoris non sit appositum? Quod si ita est, quomodo tu negabis, libellum esse famosissimum, qui fictum Goblus hominis personati nomen præ se fert, & Typographi quoq; nomen, & locum, vnde prodijt, astute dissimulat: tum insuper contumelijs, & iniurijs perpetuis constat? Quam enim crudelia sunt conuitia, quæ in illo libro non tantum in Polycarpum, in Chemnitium, in VVestphalum, in I. Andream, in Lutherum ipsum atrocissimè ingeruntur, sed etiam contra omnes Ecclesijs, & Scholas Brunsvicensis, contra omnem Senatū, contra omnē Rempub. vestrā grauissimè dicuntur, aut potius euomuntur? Nū n. tu eiusdem generis esse putas, dici aliquē Calvinianū aut Cinglianū aut Flacianum, & aliquē dici hominem leuē, futile, mendacem, perfidū periurum, Epicureū, corruptorē iuuentutis, aīnū, & beanum, ferula castigandum, sacrilegum, homicidā animarum, furē sacramentarium, Diabolum, patrēq; inuidiæ & iracundiæ, sanguinarium & siccarium? Nā his & alijs flosculis à Gobl. tuo Polycarp. exornatur. Quid: num leue sit, Chemnitium dici Apostatā, turbatorē omnium Ecclesiarum & Scholarū, seditiosum aduersus Elect. & Principes: qui tamē in toto corpore tantū

non sapuerit, quantum in minimo digitulo Philippus? Hocine conuictum à Senatu tuo tolerari: qui Chemnitij effigiem in summo ciuitatis suæ templo ponendam esse iudicari? Quid de Lutherò dicam? An verò placet tibi, Masce: quòd Goblerus iste tuus, ipsum vocat calumniatorem Principum Germaniæ, inconstantem in doctrina religionis, Vertumnum in negotio S. cœnæ, & quid non? Omitto alios, qui itidem à tuis Vuirtebergenfibus contumeliosissimè incessuntur. Nam si tu æquo potes ferre animo, quòd Senatus vester accusatur seditionis, aduersus Electores & Principes moræ, quòd nouæ religionis, quòd defectionis ab Augustana confessione; quòd denique dignus proclamatur, in quem seueritatis suæ exemplum statuunt Electores & Principes; si, inquam, ista potes ferre, nullum ego posthac verbum de Gobleri scripto tecum commutauero.

Vide enim, mi homo, quòd vsq; progrediar tecum. Ediderant Iesuitæ ad annum 76. Echo quandam Ingolstadij, nullo quidem concinnatam artificio, sed tamen valde contumeliosam; cum in ea omnes Academiæ, quæ Augustanam confessionem amplectuntur, crudelissimis conuictijs proscindantur. Huic Echo cum ego rogatu amicorum, aliam Echo, versu Hendecasyllabo scriptam, veluti scutum veritatis, obiectassem, apposui sictum Angeli Raphaelis nomen: qui vna mecum scriptitaret. Cur ita? Quia enim Iesuitica Echo nullum habebat vllius auctoris vestigium; quo iure ego meum nomen adijcere tenebar? Quid igitur tu hic dicturus es Masce? An tu Echo meam, ab Academia Tubingensi approbatam, & à multis viris cum admiratione lectam, pro libello agnosces famoso: quia scilicet nomen suum auctor illius dissimulârit?

Quid, quod anno rursus Octogesimo, à Calvinistis quædam scripta, partim sub nomine ficto Hermanni Pacifici, partim sub vero nomine L. Danxi, aduersus Osiandrum, & Theologos Vuirtebergenfenses, exiuerant? Quibus cum ego aliud scriptum opposuissem, sub nomine Laonici Antisturmij, idq; Theologi Vuirtebergenfenses, præter spem meam, luce dignum censuisserent, & edidissent: putas tu Masce, approbatum & editum esse ab ipsis libellum famosum? Sed & Oecumenico concilio, licet meo Stylo esset exornatum, malui nomen Abbatis Mulbrunenfis, tan

tanquam qui argumenti illius esset inventor, quàm meum præ-
figere. Adeo nullam mihi vnquam affectaui laudem ijs scriptio-
nibus, in quibus Dei vnus gloria, contra calumniatores asseri-
tur. Quid de anno dicam Octogesimo quinto: quo cum rhyth-
mi Germanici Augustæ ab Iesuitis, itidem sine auctoris nomine,
aduersus G. Mylium, Doctorem Theologum, prodissent: in qui-
bus ille multorum capitalium scelerum reus agitur: Ego, pos-
cente Illustrissimo Vuirtembergensium Duce, alios rhythmos
pro Mylij honore opposui; sed nomine tamen dissimulato: &
s. b. nomine Textoris Augustani edito; cum indignum eum iu-
dicarem meo nomine, quem puderet sui? Atq; hi rhythmus post
excusi sunt Tubingæ: ita volente & iubente Illustrissimo Prin-
cipe, quem dixi. Vtrumne verò tu Masce, ita insanus es, vt rhyth-
mos illos famositatis arguas, & vel mihi scriptori, vel Illustrissi-
mo Duci, cuius iussu sunt editi, crimen libelli famosi ausis in-
tentare? Num enim leuius tibi videretur, introducere Augustanū
Textorem & ciuem, qui rhytmis Germanicis famam Myli j, in
exilium acti, contra horrendas calumnias faceret defendat, quàm
inducere sannionem Brunsvicensem, qui Polycarpi, summi sui
Antistitis, honorem & nomen rhytmis Germanicis aduersus
crudelissimas Gobleri tui Personati contumelias tueatur? An
non enim sannionis publici quoque est officium, defendere pa-
trem suum Ecclesiasticum, & religionem suam: à qua non minus
ipse, quam ceteri ciues omnes, defecisse à Goblero scribitur? vbi
enim tota ciuitas apostasiæ accusatur, ibi ne sannioni quidem par-
citur. Quomodo igitur tu in Senatu dixisti, non potuisse has par-
tes respondendi ad calumnias Gobleri, tribui à me sannioni pu-
blico Brunsvicensi, citra contumeliam, & periculum totius Rei-
pub. Buccas hic infla, superbissime & impudentissime Sycop-
hanta; vt istam calumniam possis probare.

Non iam dicam de Achille quodam Veronensi: qui duas in-
me & L. Osiandrum, Satyras emisit, Luduni scilicet Batauorum
excusas, per Henricum Hastam: cuius nominis literæ, si per ana-
grammatismum transponantur, efficiunt Matthæum Harnisch.
Nihil de Ioanne loquar Capiluppo, nihil de Iatrotheo, nihil de Al-
tensteigio & similibus vespertilionib. sub larua Caluiniana lati-
tantibus, quorum in me extant multa famosissima Epigramma-

ta. Verùmne verò, tu Masce, cogi me posse putas, vt, à quo genere hominum, sub fictis nominibus exagitor, eis ego respondere non possim nisi meum illis nomen profitear? Quæ igitur larvæ aut quæ intemperix te exagitarant, vt tu ad 4. Non, Augusti, recitata Imperij constitutione, de libellis famosis, persuadere voveris Senatui Brunsvicensi, rhythmos, de quibus toties iã dixi, libellum esse famosum, propterea, quod meum nomen esset additum? Quæ furix te impulerant, vt tu hominibus illiteratis, & indoctis, & concitatu facilibus, quos à tua auctoritate pendere totos non nesciebas, tu, inquam, fueris auctor; vt ipsi lictores suos, in domum meam immitterent: à quibus ego ex Hafsia redux, cum vix salutarem familiam, non secus ac maleficus, in publicum carcerem deducerer? Et cur tu capitalem, in me tulisti sententiam, vt ego pro defensione religionis, & Senatus, & ministerij Ecclesiastici, pœnam capitis luerem? Vocauerat ad se Senatus tuus, ciuem suum, sculptorem, quem dixi, & vocauerat sine lictoribus; & prius audiendum, quam vincendum censuerat. Cur innocens ego non eandem, apud vos merui gratiam: quam imprudentissimus sculptor meruisset? Cur minus valuit apud te Frischlini auctoritas, & nomen, quam sculptoris, & ciuis Brunsvicensis? Vide enim tu homo suavis, quã iniq; inter me, & sculptorem illum sit comparatum. Dederam ego ipsi rhythmos, vt ab eo in Saxoniam, & personæ introductæ aptam, conuenientemq; linguam transferrentur: sed ne prius tamen inuulgaret, quàm mihi restituisset, monueram atq; interdixeram sedulo. Quid ille? vbi me peregrè abijisse videt, neque desiderium illius ferre absentiam hanc posset diutius, ibi cœpit rhythmos partim pervertere, & è bonis malos facere, partim novos, & totum deniq; opusculum rhythmicum, ineptissima forma, sicut omnes restantur artifices, in lucem emittere. Et quia mala mecum fide se gere animaduertebar, ideo & suum, & suæ sciuitatis nomen dissimulabat, & fictum locum, aut certè extraneum præfigebat frontispicio: imitatus ea in re Neapolitanos, & Seruestanos; qui è sua ciuitate crebrò faciunt Lugdunum Batauorum. Interrogatus verò post à Senatu, vnde rhythmos illos accepisset, & quo auctore, & cuius iussu edidisset, perplexari cœpit miris modis. Nam primò sibi dixit, à me missos ex Hafsia, vt apud vos distraherentur.

tur. Deinde conuictus vanitatis, affirmavit, se scriptos à me accē-
cepisse, vt in centum exemplaria referret, approbante hoc consi-
lium etiam Polycarpo, & toto ministerio: quorum tamen no-
vnum quidem; me absente consuluerat. Nam si de hac illorum
& mea voluntate certus fuit, cur suum & loci nomen dissimula-
raret? cur deprehensus in tot perplexationibus, cum sibi time-
ret, prius vrbe aufugit, quàm reditum meum ex Hafsia expectan-
dum putaret? cur senatus tuus, non in vincula ipsum coniecit,
vt ne posset aufugere? cur multò in illum vt nocentem, quàm in
me innocentissimum, fuistis æquiores?

Equidem si prius ego auditus, quàm à lictoribus, & carnifi-
cum ministriis, qua situs fuisset, cognouisses tu, cuius hominis
sit manus, quæ ex officina sculptoris in vestrum Senatum fuerat
allata: cognouisses, qua occasione, & quibus de causis, rhythmus
isti, à me atque alijs fuissent compositi; quo animo, quo consilio
scripti; cognouisses, quorum hominum instinctu versiculi isti,
non scripti tantum, sed etiam locupletati fuissent; cognouisses,
quorum iussu sculptor ea, quæ ego propalare vetueram, in lucem
protulisset: cognouisses deniq; quamobrem nomen meum ver-
sibus neq; appositum, neq; apponendum fuisset.

Et quæso te, per immortalem Deum, Masce, quorum tandem
est hominum, in vestra ciuitate iudicare de scriptis, ad cōtrouer-
sam religionē pertinentib. ? Tuū ne, & tui similitum, qui aut con-
trouersias istas non intelligitis, aut quæ intelligitis, ea in gratis-
am amicorum dissimulanda censetis? an verò hominum illite-
ratorum & rudium, qui de meis & aliorum scriptis minus pos-
sunt iudicare, quam occisi sues, strangulati canes, excoriati asi-
ni; Putaueram ego, iudicium de talibus scriptis, penes ordinem
esse Ecclesiasticum.

Nam quando M. Iacobus Godesfridus Illustrissimo Principi
Iulio maledixisset; & Dux aduersus ipsum, ex iure & legibus
velleret agere: nonne Senatus vester actionem iniuriæ à se remo-
uit: & causæ illius cognitionem, ad colloquium rejecit Ecclesie-
asticum?

Cur igitur indocti, & noti tibi homines, in aliena causa,
quæ ad suum forum minimè spectabat, tam altum in me exere-
gunt supercilium? In quo scilicet & molesto animo fertis causam
dici

dicī, si quis Ecclesiæ minister alterum pedem ponat in foro, alterum in templi choro. Quæ igitur hæ sunt intemperies, quæ vos rabulas forenses agitant: quod vosmet immiscere audetis rebus Ecclesiasticis, & de Theologorum controuersijs vobis vsurpare temerarium iudicium?

Enimvero non latebat te, quod rhythmos approbassent ministri verbi complures, quod Polycarpus antistes, quod præcipui aliquot ciues. Itaq; modis omnibus hoc præcauendum putabas, vt ne quis illorum in deliberationem admitteretur, in qua tu de me capiendo, sanguinaria tua consilia animo agitabas. Nunc vero postquam in medio est, quindecim pastorum Ecclesiæ de me, & de versibus, testimonium, & postquam Francofortenses ministri suo quoque calculo approbatos versus, in lucem Vrsellis emiserunt; facile tu intelligis, quanto cum probro tuo, damnatoriam istam in me tragulam conieceris. Sed sapis Masce; quod, cum metuas tibi, & causæ tuæ, cupis testimonium, mihi datum à ministerio Ecclesiastico, pro insigni tua malicia & impudentia, prorsus annihilare. Non enim cogitas tu, effrons bestia, pluris esse quindecim Theologorum, de controuersia Theologica, quam vnus aut alterius Rabulæ improbissimi iudicium. Itaq; calūniari soles audacter, sciens, quod semper aliquid in animis exultantis hominum tuorum inhæreat.

Quid dicam, quod nemo extraneus adhuc in senatum vestrum venerat, qui se in isto opere ludicro, à me læsum esse queriret? Nemo enim aderat actor, qui litem mihi vellet intendere: nemo Goblerus, nemo Iodocus, nemo Magius, nemo VVe-sebeccianus: nullæ allatæ literæ Vuiteberga, nulla Dresda, nulla à septemuiro: cui vos ista criminali, & plusquam iniuriosa actio ne, gratificari, & palpum percutere voluisse, tam certum est, quam certum, Solem lucere claro Meridie. Quæ verò res est, contemnere aperta vicini, & agnati principis imperia, curare aliena, & tacita? quæ peruersitas animorum est, pluris facere illorum hominum gratiam, qui vestræ religioni aduersantur, quam eorum, qui eandem cum tuo Senatu religionem amplectuntur? Fuiſtis igitur non modò tererrimorū Sycophantarum, Gobleri & sociorum quorundā, patroni, & aduocati, sed etiam in aliena causa actores, & iidem simul iudices; & iudices in foro minime competente.

petente. Nam tu is homo es, qui vbi lites & actiones non sunt, ibi lites & actiones seris. Itaq; non dubitas, Ecclesia & Scholæ Brunsvicensis ministros tuis literis, quas Dresdam, & Lypsiam, & in alios locos, transmittis, non sine iniquissima prodicione, traducere; tum ea quoq; quæ in Senatu geruntur, & dicuntur, eodem eliminare. Quod qua fide & conscientia facias, tute videris Masce. Nam si fecisti, nega.

Multa possem hoc loco in te, & socios quosdam tuos, homines turbulentos & præfractos, in lucem afferre: sed quando impudentiam vestram, cum summa iniuria coniunctam, boni omnes intelligunt, ideo stylum premo. Verum enimvero si concedis tu libellum Gobleri esse verè famosum (nisi fortè quindecim ministros Ecclesiarum Brunsvicensium, qui idè mecum affirmant, arguere velis mendacii:) quo tu iure a me requiris, vt refutatio ni veraci, quæ tot mendacijs & calumnijs opponebatur, meum ego nomen debuerim apponere? An non enim lege talionis, hac in parte agere, & par pari referre, mihi licuit? Poëtæ officio fungus sum, Masce, & personam laruatam, nempe sannionis publici, in theatrum Brunsvicense introduxi: qui rubra solea nates Gobleri, tui popularis, vt personati cachinnonis pulsaret. Hoc enim privilegio gaudens poëtæ comici, & à Cæsare coronati. Si tu leguleie, legem habes: quæ istam talionem prohibeat, vt ne personatus à personato rhythmis exhibetur, proferas velim.

Non dicam, quòd nomen meum multò est dignius, multoq; amplius, quàm vt ridiculis rhythmis præfigatur. Vt enim indignissimum est, & mea & Polycarpi persona, castigari ipsum ferula à me, in mea Schola: quod Gobleri & Vuittebergenses volunt: ita indignissimum meo nomine fuerat, rhythmis, sannioni, apertioribus, pulsare abiectissimi Gobleri nates.

Quare alienæ personæ tribuendum censui, quod meæ personæ minimè conuenire videbatur. Hoc enim iuris habent Poëtæ comici, nisi mea me laurus Apollinea fallit; quam Diui Rudolphi Cæsaris manibus, impositam vertici meo, gero: & quam neq; tu, neq; alius Sycophanta suis machinationibus, in hunc vsque diem, mihi detrahere potuit. Quid quod sculptor, à quo rhythmi sunt typis primum promulgati, plerosq; corripit, & multos nouos de suo addidit

totum denique rhythmum cum scriptum valdè inepte emisit: sicut omnes qui artem Typographicam intelligunt, apertè fatentur? Crede igitur mihi tu: quòd xgrè laturus fuisset, si sculptor tam ineptæ & incomptæ editioni versuum, quorum me suppudere potuerat, nomen meum præfixisset. Neque est Masce, vt tu iteratam Vrsellis editionem mihi obijcias: in qua itidem nomen auctoris dissimulatur. Consilio enim feci, quicquid feci. Si enim nomen meum apposuissem, videri tibi potuissem, isto facto posterjori prius alterum damnare velle. Sed quando aliorum de rhythmis istis iudicia audire tum volebam, satis fore ratus sum, vt auctorem dissimularem, quo liberiora essent lectorum, de seripto illo iudicia

Cùm autem rhythmi manu scripti, sicut initio à me fuerant recitati, & ab alijs laudati, mox etiam D. D. Aegidij Hunnij, Theologi Marpurgensis, & ministerij Ecclesiastici Francofurtensis calculo fuissent approbati, ac propterea Vrsellis in lucem editi, & in proximis autumnalibus nundinis, publicè venditi: annon sentis, annon intelligis, quanta cum animi intentione, tu Senatui tuo, rudi ferè literarum atque indocto (paucis exceptis) persuadere volueris, libellum esse famosum.

Quod enim tu infimulas, id ego animo meo haud quaquam agitaui, vt nimirum dissimulato nomine, aut famè aliorum detraherem, aut Electorem Saxonie aduersus Rempub. vestram odijs incitarem. Falleris enim, & falleris longissimè, si istud credis, Masce. Equidem meus in hoc toto negotio animus fuit, vt teterrimi Sycophantæ atrocissimas calumnias, hac ratione exhibilarem, ipsumq; non nostris tantum, sed suis quoque hominibus deridendum propinarem: & quod Salomon ille prudentissimus præcipit, stulto responderem secundum stultitiam, ne videatur & sibi, & alijs sapere. Quod si verò libellum famosum non animus solùm facit, lædendi & alijs detrahendi cupidus, sed & verba iniuriosa, & cum aliorum probrijs coniuncta: quomodo tu hæc meis inesse rhythmis demonstrabis? Nam vt videas Masce, quantum auctoritatis tibi Iurisconsulto, in hac re detraham, dico ego, nullo me iure cogi posse, vt scriptis meis, quæ pro gloria D. uini nominis, pro honore religionis, pro salute Ecclesie, Reiq; publicæ, opponere velim aliorum famosis libellis, meū

ego nomen præfigam. Neque enim hic de honore nominis mei, vel asseruando, vel amplificando præcipue agitur, neq; ego Fr: Petrachæ more, famam affecto rhythmis, lingua vernacula scripsis: neque item is homo, quem sui nominis pudet, dignus est; cui nobilis scriptor (absit verbo inuidia) suum nomen opponat. Solent enim tenebriones, postquam claris viris maledixerunt, & ab illis refutantur, hoc modo efferi, & vana gloria, sicut Simæius & Doëgus, intumescere.

Vnam hanc rem mirari satis nullo modo possum, cum ego provinciam meam iam dudum vale dixissem, & à meo munere dimissionem impetrassem, neq; iam aliud, præter discessum meditari, ac proinde iurisdictioni vestræ, nequaquam essem amplius subiectus, qui furor, & quæ rabies vos incitaret, ut meam causam vobis diiudicandam sumeretis. Si enim actor forum rei sequitur, cur vos in vestro potius, quàm in meo foro, criminalem contra me actionem voluistis instituere? Nam si quis etiam extraneus litem mihi, apud vos voluisset intendere, propter rhythmos istos, annon potuisset omne iudicium declinare, & actorem ad meum iudicem remittere? Sed ò tempora, ò mores. Quis vnquam audiuit, in libera ciuitate, talem mercedem relatam defensori religionis patriæ, præconi Ecclesiæ & Reipub. qualis hæc relata est mihi? Qui n. defendendus fueram, oppugnor ab illis ipsis, quorum extiteram propugnator: qui summa ope eripiendus extraneum, opprimor à domesticis: qui summa ope eripiendus fuisset à manibus hostium, si in aliquos incidissem, trador licitoribus vincendus. Et quis vnquam fando percepit, Rectorem Scholæ, de Schola non modò domestica, sed de alijs quoq; exteris, longè lateq; & de tota re literaria, tam benè meritum, pro suis summis beneficijs, tam malam recipere gratiam? Quis vllò in loco vidit hominem summis ornatum honoribus, summis munitum priuilegijs, in summo constitutum gradu Academico, Poëtam & oratorem, manibus ipsius Cæsaris, in frequentibus Imperij Comitibus coronatum, denique Comitem S. Palatii & Aule Cæsariæ, creatum ab ipsa Maiestate Imperatoria, non citatum, non auditum, & præmijs potius, quam pœna efficiendum, per licitores & carnificum ministros, rapi ad vincula, conijci in carcerem?

Quis Bartholus, aut quis Baldus te Mascē, hunc processum docuit? O te brutam pecudem.

Tu ne p̄dagogis sis filius, qui in me pedagogiar̄cham, tam atrocem tulisti sententiam? Tu ne homo Academicus fueris, & Professor Iuris L̄phiæ: qui in me hominem Academicum, & olim quindecim ferme annos, Illustrissimæ Academiæ Tubingensis professorem, tam crudelis, tamq̄; iniurius fuisti? tu ne legum sis Doctor, & iustitiæ Sacerdos: qui in me Philosophiæ & Medicinæ Doctorem, tam atrox, tamq̄; dirum exercuisti iudicium? tu ne vllius Poëtæ, aut docti viri, laude sis dignus; qui me Poëtam; toti Germaniæ notum & clarum, tam nefarie, tamque indignè, tractandum esse censuisti? Tu ne ab vilo magistratu Imperij sis fouendus, qui in personam illustrem, in Palatinum Cæsaris, in Comitem Aulicum, præmijs potius ornandum, quam vlla pœna multandum, armare hētores & caru fices non dubitasti? Hoc ne præmium à Brunsvicensibus ei redditur, qui Lutherum, qui Chemnitium, qui Polycarpum, aduersus crudelissimi Sycophantæ contumelias defendit: qui Ecclesias, qui Scholas, qui omnem Senatū omnemq̄; ciuitatem celebrat, laudat ornat?

Verūm qui te norunt Mascē, ij singuli affirmant, nihil mihi abs te noui accidisse. Quis n. alius, M̄ Fridericum Petri de sacro suggestu Brunsvigæ detraxit, nisi Mascus? Quis alius Ḡ Heccelium, pastorem Martinianum, vrbe expulit, nisi Mascus? quis alius partes Ioannis Hederici, Doctoris Theologiæ, & summi antistitis aduersus Polycarpum, ac totum ministerium, tam diu in Senatu fouit nisi Mascus? At quid tamen vel Fridericus Petri, vel Heccelius, vel Polycarpus ipse, in te tuosq̄; socios, tam atrox potuit committere? Licuit nimirum Ioanni Maiori, famosissimo in Polycarpi discessum versus euulgare. At non licuit Friderico Petri, nomen & famā sui antistitis, D. Polycarpi, verbis tueri, & contra calumnias defendere.

Quid Heccelius? Scripserat sanè vir iste priuatas, ad D. Georgium Mylium literas, easq̄; miserat Vuittenbergam, obsignatas. In ijs tamen nihil erat dictum grauius, quā vereri ipsum, ne Illustrissimus & optimus Saxoniz Elector præter suam voluntatem à Calvinianis quibusdam Iscariotis, in fraudem atque errorem

rem inducatur: ita vt Calvinismum, in Ecclesias suas irrepsisse prius non sensurus sit, quàm ingrauescenti malo, remedium posse afferri nullum possit; sicut hoc ipsum D. patri ipsius Augusto euenerit. Scin verò tu Masce, à quo genere hominum literæ istæ sint interceptæ, & contra ius ac fas apertæ; ac pro Famosa charta, Illustrissimo Saxoniz septemuiro traditæ? Quid? vtrumne oblitus es, quis tuæ farina homo Principem istum optimum, tam insperato, contra optimum Heccelium, odio potuerit inflàmare? Sed quam tamen laudem inisse putas Senatuum tuum, apud reliquos Germaniæ Principes; quod iniquissima sententia, te monico atque instigatore, M. Heccelium, propter literas istas, furtim ablatas, & optimo privatoq; consilio conscriptas, præter omnem æquum, sua vrbe exterminauit: Macti animis Brunsvicensis: ita pergite: & Thraonica quorundam hominum superbia, tâquam aulico quodam fulgore, oculos vestros perstringi sinite; vt quid in religione vestra asserenda, & in propugnandis Ecclesiæ ministris, facere vos æquum sit, è Masco potius, quam è Polycarpo perdiscatis. Experiemini, ni fallor, quem tandem res ista fortitura sit exitum. Nam tabularum sequi consilia, in religionis negotio, eorum est hominum, qui professionem autam patenamq; malunt amittere, quàm amicos offendere.

Quid enim opus est verbis in re, omnibus manifesta? Negat Calvinus, apertissima quæq; oracula Prophetarum, quæ ab Euangelistis & Apostolis citantur, esse intelligenda de Christo: & fatuos esse clamat, & bliteos, & bardos, qui sic ea interpretentur. Hoc quia Iudaicum & Turcicum, in Caluino damnauit Selneccerus, quàm facile viam inuenerunt Crellius & Paulinus, leguleij & socij tui: vt ille eijceretur è Misnia.

Sapiunt igitur Brunsvicenses tui, sapiunt, inquam; quòd Syndicos suos, ex ijs potissimum locis, ad se accersunt: vnde sinceri Ecclesiæ Doctores hodie eijciuntur; & vbi sana Lutheri doctrina opprimitur: & vbi liber Concordiæ, qui ipsis tam carus est, exploditur. Nam quomodo tu, & socij tui, possitis mitioribus esse in Polycarpum animis, Brunsvigæ, quam in ipsum Selneccerum, & Mylium, ac ceteros fuistis Vuitebergæ, & Lipsiæ? O cæcos homines, qui ista non vident: ô brutas pecudes; quæ consilia vestra non intelligunt. Quàm enim tu scabiosè lo-

qui soles de Polycarpo? quàm turpiter præterita ætate, mense
Iulio in ædibus Paulinis eum traduxisti? quàm curuo naso ab-
sentem suspendisti? Nam gladiatorio te in illum esse animo, tam
scio, quàm scio me viuere. Cur enim à sacris concionibus te ab-
stines: nisi vt Calvinistam, & Sacramentarij Spiritus te filium
esse doceas? Nam si tu à Calvinismo abhorreres Mafce, non re-
spueres sanorum tuorum antistitum sacra publica: sed reapse
demonstrares, iniquè de te suspicari illos, qui te Calvinismi in-
simulant. Verum tu mauiis negare verbis, quod factis probas,
quàm vt factis & reapse probes, quod verbis affirmas.

Habent enim hunc morem Philippistæ, vt quod sunt, sese
negent esse: & religionè, quam animis occultant, candidè pro-
fiteri non audent. Itaq; testæ sunt Philippistarum consilia, quibus
improvidos magistratus mirifice solent possuntq; ludificare.

Neque tu etiam prius cessabis, occultis machinationibus,
cùm omnes Ecclesiæ Brunsvicensis ministros, tum imprimis D.
Polycarpum oppugnare, quàm ipse cum ingratis vrbe vestra
exterminetur. Quod ipsum qui non credit, is sibi exemplum
de Friderico Petri, de Heccelio, de me Frischlino capiat. Dent
igitur operam Sacri Ecclesiarum & Scholarum antistites, & con-
sules, & Tribuni plebis: ne quid sua religio & pax publica, detri-
menti à te capiat.

Scio hoc loco multos fore, præsertim externos, & quibus ra-
tiones Senatus Brunsvicensis, non satis constant: qui impendio
sint admiraturi: quomodo tu solus istas res potueris consequi.
Quare operæ pretium fuerit, si paucis antequam pererem, istas
rationes Senatus Brunsvicensis exponam. Etenim ciuitas om-
nis Brunsvicensis, in quinque partes diuisa est, quarum quæli-
bet suum habet senatum peculiare, suos item consules, suos Ca-
merarios, sua prætoria, sua templa, suas Scholas.

Hi omnes quoties de re aliqua grauiori consultandum est,
in vno loco coueniunt, & frequentissimum cœtum efficiunt: in
quo vltra viginti sunt consules, & totidem (ni fallor) Camera-
rij; reliquorum Senatorum numerus longè maximus.

Sed ex omnibus tamen vix quinque, aut sex homines inue-
niuntur (quod absque illorum contentu aut conuictio sit dictum)

quæ

qui sint literati & docti Nam aliqui hic adeo sunt rudes literarum, ex isto grege, ut eos ad inscitiam & barbariem procreatos esse, aut ruditatem ex voto nuncupasse iures.

Quid autem facilius sit, quam tali gregi persuadere, album esse nigrum, & nigrum esse album: sicut tabulæ quidam Urbani, artem hanc iactare non erubescunt? Si qui tamen sapientiores, & doctiores in Senatu aut sunt, aut omnino tales haberi volunt: ij numero vincuntur, & reliquæ multitudinis clamoribus. Vbi omnes de re proposita tulerint sententiam, in eam ad postremum nititur, quam maxima pars decreverit: sed non prius tamen, quam syndici eandem suo quoque calculo comprobaverint. Nam ab his fere vulgas hominum pendere, & à sententijs illorum stare consuevit.

Itaque vota in isto collectio Senatu non ponderantur, sed numerantur. Cum autem nemo esset ex omni numero, qui Gobleri scriptum legisset, neque tu Masce, illius mentionem ullam fecisses, quam facile tibi fuit, absentem me, neque citatum, neque auditum in controversia, quæ ad tuum forum minimè spectabat, apud homines minus peritos & totius negotij penitus ignaros, licet cætera minimè malos, tuis calumnijs & confutis Sycophantijs opprimere?

Quis enim Iurisconsulto, de libello famoso, sententiam dicente, fidem non habeat? quis homo plebeius, & crucis, tam dicente, & perito artificio, pedem in Senatu opponat? quis capitæ poena non censeat multandum, qui à tanto Iurisconsulto affirmetur, edidisse libellum famosum, contra Saxoniam septemvirum? quis lictores & carnifices non armaret, in eum hominem, per quem tu calumniabaris, toti Reipublicæ odium summi Principis concitari? Ecquid frontem caperas Masce severitudine? quid nares corrugas? quid os distorques? quid times? quid palles? Nam horum tu nihil, quæ obiecta sunt tibi, negare potes.

Tua enim conscientia & nunc te redarguit, & in posterum quoque tempus, ad extremum vitæ usque halitum, te excarnificabit: ut, qui me, ex amico inimicum tibi feceris; qui omni fide posthabita, omni pietate neglecta, maiorem Epicuræi
vnius

Vnius atque alterius socij, quàm Frischlini tui, rationem habendam putaueris, is iam deinceps nocte dieque tuum gestes in pe-
store testem.

Quamobrem omnes Ecclesiarum, & Scholarum quarumuis,
antistites, pro quibus ego arma sumseram, te oderunt Masce: te
Lutherani omnes auersantur; quibus tu præsentibus scis pal-
pum obtrudere, absentes verò mordere clanculum; te Senatus
ipse, te ciuitas (si modò rectius te nouerit) iam deinceps pro
hoste religionis, & pacis publicæ, habituri sunt: neq; quisquam
nunc est, cui patria religio cordi est, aut qui literas colit, qui
Frischlini nomen amat, qui innocentissimi hominis zelum, in
religione, non improbat: nemo (inquam) horum est, qui no-
men tuum Masce, non putet iam nunc odio sibi habendum; te-
que ipsum, propter egregium hoc facinus, non statuat
sibi & alijs post hac deridendum, exploden-
dum, exhibilandum.



BRVN.

BRUNSVICENSIS ECCLESIAE MINISTE-
RIVM, OMNIBVS HAS LITERAS LECTVRIS,
auditurise, Salutem & incolumitatem à Christo Iesu unico
IMMANVELE nostro, precatur.

Socratis sententia est, cum alijs in rebus, tum maxime in familiaritatibus
colendis, magnum inter bonos & improbos reperiri discrimen. Discrimen
vero illud hoc esse testatur, quod improbi amicos tantum colant presentes,
probi uerè amant etiam procul absentes. Quod si uerò hæc Ethnici hominis
gnome à Christianis quoq; & prudentibus omnibus celebratur, ac magni sit,
nequaquam nos honestissimæ petitioni, clarissimi, uirtute ac doctrina præ-
stantissimi uiri, D.D. Nicodemi Frischlini, Poëtae Laureati, & Comitæ Pala-
tini Cæsarei, deesse potuimus, nisi ex numero $\sigma\omega\delta\alpha\omega\omega$ & proborum eximi-
uoluissimus. Vixit is nobiscum, dum Scholæ Martinianæ, in celèberrima hac
Brunsvicensi Ecclesia præfesset, familiarissimè. iam uerò, posteaquam à no-
bis discessit, petiit à nobis testimonium honestæ suæ conuersationis, quod eo
aduersus obrectatores uti posset. Cum igitur præsentem, ob ingenij dotes,
quas Deus cumulatè in hunc uirum literatissimum contulit, magni fecerimus,
& honorauerimus, non possumus non etiam absentem beneuolentia nostra
prosequi, & de honore & commodis ipsius, ne obrectationibus, & calumnijs
aliorum, præter æquum, prematur, solliciti esse. Testamur itaq; ipsum in
hac urbe iuuentutis Scholasticæ studia sesquiannum moderatum esse, & mu-
nus Rectoris in Scholâ Martiniana, ita præclare, laudabiliter, & fideliter
administrasse, ut non pauca libera ingenia, breui hoc temporis spacio, sub
ipsius institutione, tantum studiorum suorum profectum senserint: ut grata
mente, toto uite sue tempore, id sint agitura. Viriusq; nanq; linguæ præ-
cepta, & præceptorũ usum, cum imitatione tã Ciceroniana, quàm Homericâ
(præter Dialectices ac Rhetorices) ita mirabili artificio coniunxit, ut quæ-
cunque Scholasticis ipsius, siue soluta, siue numeris astricta oratione, propone-
rentur, facillè, feliciter & $\alpha\upsilon\tau\omega\sigma\chi\epsilon\delta\iota\omega\varsigma$ præstare didicerint. Neq; uerò (pro
ut est insignis ingeniorum formator) alacria solum, & excitata ingenia,
per mouere potuit, ut constantius, & maiore cum contentione, cursum studi-
orum suorum urgerent: sed & lentiora singulari quadam facilitate, & comi-
tate, ad ingenua studia allicere potuit, ut & ipsa ad frugem aliquam elabo-
rarent. Et quia intellexit, omnium studiorum solidissimum fundamentum
esse pietatem, idcirco studiosam pubem, fidei suæ cõmissam, ad fontem omnis
pietatis, scærarum nimirum literarum assiduam lectionem diligenter adbr-

Notu
tatu, ipsiq; Catechesin utramq; tum in igni illius Lutheri, tum clarissimi uiri D. D. Davidis Chytræi, in schola quam si telisime interpretatus est, sedulo iuuentutem commouens, ut sibi tam à Jesuitarum strophis, quam à Caluini-
starum *Χρησολογίασιν καὶ ἐυλαρίαισιν*: quibus corda τῶν ἀκούων, seducere solerent, omni studio cauere. Ut igitur ipsius fidei professionem, quam diu nobiscum uersatus est, nunquam animaduertimus, uspiam à sincera & in corrupta Augustina confessione deuiare, ita iucundissimum nobis fuit, uide-
re, ipsum iuuentutem ad consimilem sinceritatem deducere. Quod uitam ipsius concernit, non fuit ea stoica, uel ad morositatem composita: honesta tamen, quantum nobis de ea constat, fuit. Cuiq; in aliis *ἔντονα καὶ φιλοσοφικῆ* sumpta, commendetur, cur nos eiusmodi *μαγείστοποι* effemus, qui aliqualem liberaliorem uiuendi rationem, in libero hoc Poeta, odiose ex-
agitaremus? Cum igitur singularis huius celeberrimi uiri in docendo dex-
teritas, & in iusticia, nobis maxime opere fuisse probata, non tantum nos, sed & alii plurimi boni uiri, hoc unice optarunt, ut permaueri potuisset, quò si-
xam ipud nos in iustionem sibi eligeret, huicq; Reip: diutius operam suam, in
instituta iuuentute locaret.

Verum, quia conditiones ipsius hoc non ferebant, eò quod ab illustri-
atq; potentissimo Principe ac Domino, Domino Guilhelmo Landgrauiò Has-
siae, Comite in Cattimeliboco, Dietz, Ziegenhain & Nidda, &c. Domino nostro clementissimo, suam operam conductam testaretur, ac promde dimissio-
nem ex sua statione legitime peteret, eam à Dominis Scholarchis & no-
bis impetrauit. Quis enim ipsius commodis, quae exacta ipsius, & rara in hoc orbe eruditio meretur, obstrere uellet? Porro, ne cui hic scrupulus in corde relinquatur, etiam hoc significandum uidetur, quod eodem tempore, quo Prischlinus noster discessum meditatus erat, & dimissionem petiit, atq; paulò post impetrauit, acciderit, ut Sycophanta quispiam Caluianus, publi-
lico scripto, sed eo famoso, suppresso nimirum uero suo, Typographi & loci nomine, partim Ecclesiam nostram, partim eius ministros aliquos, & quidem maxime sinceram de Sacra Domini coena confessionem scelerate, & per ca-
lumniam impeteret.

Poeta ergo noster zelo percitus, & in ditiosum istum calumniatorem pro merito tractaturus, Poësi Germanicæ illius proteruiam reprimere uoluit. Quem ipsius conatum haud dubie ex animo innocentiam, & ueritatem tuc-
di profectum, alii aliter interpretati, bonum uirum in discrimen fame, & ex-
istimationis, non contemendum coniecerunt.

Equidem nos huius casus nec arbitri, nec iudices esse uolumus: Hoc tamen
re &

re & necessitate ita exigente, in hoc Testimonio nequaquam dissimulare possumus, neq; nobis consciis, neq; probantibus: accidisse ea, quæ Frischlino hoc nomine euenerunt. Existimamus enim, alias potuisse iniri rationes, quibus cum ipso ageretur, si maxime iustas defensionis metas transiisse conuinceretur: Præsertim cum constet, in ipsius absentia, ex præcipitanti quadam sententia, nobis omnibus & singulis in scis, ista omnia fuisse publicata: quæ absq; dubio, si præsens fuisset, uel pro sua prudentia ita conformaturus fuisset, ne cuiquam quicquam detrimenti exoriretur, uel aliis in consilium adhibitis, penitus aboliturus. Sed omisis his, Deum precamur, ut ipse & motus hæc turbas clemēter sedare, & Frischlino propicios patronos cōcedere, cūq; Spiritus Sancti gratiam largiri dignetur, quò in Orthodoxa fidei Christianæ confessione, constans perseuerare, & excellentissimis suis donis, ad gloriam Dei, Reip: literariæ incrementum, atq; propriam salutem uti possit. Ut autem hæc omnia suum pondus: ac tantò maius fidei robur, apud omnes consequerentur, hæc literas omnium nostrorum subscriptionibus munire uoluimus, lectas & approbatas in colloquio nostro, 5. die Octobris. Anno 89.

Polycarpus Leiferus, D. Superintendens.

M. Ioannes Gudenus, Senior.

M. Ioannes Lossius.

Christophorus Leine,

Melchior Neofanius.

M. Fridericus Petri.

M. Ioannes Gasmerus.

Ioannes Cocus.

Hector Friderici.

Georgius Sluter.

M. Rudolphus Hildebrand.

M. Andreas Mollerus.

Georgius Oëdingius.

Leonhardus Sigfridus,

Ioannes Faber.

ELEGIA VALEDICTORIA AD RECTO-
rem & Senatum Academiae Mar-
purgensis.

Alloquor extremum maestos abiturus amicos,
Et tibi Marpurgum flebile dico vale.
Quæ fuerit tamen aduentus occasio nostri,
Ocia si desunt iam tibi nulla, lege.
Nam mihi si Larix placuissent dogmata Romæ,
Essem Casare: portio fida chori.
Omnia si docti laudassem verba Philippi,
Leucorea nemo maior in vrbe foret.
At quia quod didici quondam puerilibus annis,
Tutatus fueram religionis opus:
Brunopolinque adij, tecum Polycarpe vocatus;
Heu mihi quas pœnas pro pietate luo.
Augustana equidem mihi quod confessio cordi est:
Quæ monstrata tibi Carole Quinte fuit.
Durius à socijs, quàm Christus ab agmine Turci,
Tractor, & hoc insons fert mala multa caput.
Nam quòd Vbi quisque verbis accusor iniquis,
Brunopolis culpam criminis huius habet.
Namque Heidenrichium cur mœnibus expulit vrbis?
Exponat causam, si lubet, ipsa mihi.
Nil ego condidici nostris, quod abominor, annis:
Captiua obsequio mens mea Christe tuo est.
Quid, quod & vrbs eadem te, Bergi clare Mathia,
Expulit, aequè suis iussis abesse foci?
Sed tamen Altorfi Schola te Nostra recepit:
Clara Heidenrichium Iulia testa fouent.
Vnus ego exilium, quòd commemistis acerbi.
Vos Brunsvicenses, non sine clade fero:
Namque agor, ut per plana citus turbo æquora fertur,
Nec requiem hoc vllus præbet in-orbe locus.
Quid tamen admisi? totum mea seruiit annum.
Vex operata homini, mens operata Deo.

Nec

Nec mea displicuit vestris industria templis:
Dum doceo pueros instituoq; Scholam.
Sed mihi quàm vilis pro magna reddita merces-
Est opera: & impar quàm mihi conditio?
Quin etiam victus natura noxius isthic.
Nam vires fregit Mummia vestra meas,
Tandem vbi Landgrauio totum me mancipo Catto,
Et Valedico tibi feruida Brunopoli,
Non sine criminibus, neq; parua mole grauatus
Culparum (quanquam non mihi culpa fuit).
Discedo: & Cattas venio nouus hospes in vrbes:
Sunt etiam Cattis hospita tecta meis.
Hic tu Marpurgum primò tua tecta petentem.
Suscipis, & ciuis nomen habere sinis.
Nam te Marpurgum, dum vixi, semper amaui,
Tu quoque cur merito semper ameris, habes.
Quod ita men hic iubeor Ludouici nomine vestri
Principis, heu subito, vertere dulce solum:
Hanc qui com merui pœnam, bone Iuppiter vnde,
Vnde mihi tanti Principis ira venit?
Hunc mihi credideram vel religionis amore
Esse patrem, & Brenti non male velle Iari.
Nam quos sæpe aliàs disiungit iniqua similtas,
Hos ligat eiusdem religionis amor.
Adde, quod herois ornâram versibus illum:
Cui Nomenclator se meus iste dicat.
Dij qualem ante decem, quem se mihi præbuit annos?
VVirtembergiaci cum foret hospes agri?
Quis mihi Dauidem potuit mutare Doëgus?
Hic quis tam mendax Achitophelus erat?
Num quia Brunopolis nuper me læsit iniqua:
Tu quoq; me exilio vis onerare nouo?
Ergo vale & salue, Marpurgi Academice cœtus:
Pectora ab hoc animo non abitura meo.
Sive Lycaonium rursus ferar hospes ad axem,
Sive petam Austrini feruida rura Noti:

Semper ero vestri, quotquot fouistis egenum,
Non occasura, cum pietate memor,
Sed tamen hanc vnus mentem nunc scrupulus vrget:
Hinc quod ab inuitis cogonabire viris.
Credideram, tibi diuino de Casare quondam
Esse datum, hoc summi dulce fauoris opus;
Vt doctis esset tua ianua aperta Camœnis:
At nunc Casario clauditur illa viro.
Credideram, tibi Guilhelmu[m] simul esse patronum,
Quo non est alter maior in orbe Comes.
Is sibi quod nostræ conduxit fila Mineræ,
Idcirco tuis cogor abesse focis?
Si forte erraui: veniam concedite lapsò:
Nam ter nunc iubeor protinus ire foras.
Vos etiam Catta de Nobilitate valete:
Nomina carminibus tot celebrata meis.
Ipse ego vestrarum dixi præconia laudum:
Tecciaco canerem cum noua metra thoro.
Nam tunc nobilium Cartorum nomina centum,
Materies numeris facta fuere meis.
At nunc hospitio, mihi non bona gratia vestro
Redditur: ô nobis hospita terra vale:
Tuq; vale studiosa cohors, mea pignora nuper,
At nunc deserto cura dolorq; patri.
Non licet hac nobis genitoribus vrbe morari:
Sit tantum nostris hac locus vrbe libris:
Qui studiosa cohors, tibi dum prodesse laborant,
Ingenuo patri tu nocuisse caue.
Helsiacci cineres Eobani vmbraq; valete:
Non licuit viuo vos coluisse mihi:
Ah saltem terra claudi licuisset eadem:
Vna vti nos ambos contumularer humis.
I mea tu coniux, diuina filia Brenti,
Nunc decima & sexta prole futura parens.
Forsan erit grauidæ toto angulus orbe maritæ:
Quò possis vteri pondera ferre tui:

Qui

lyz felton
Brenti
Vbi q-uo-fo

Qui Deus est nobis, Deus est quoq; Seminis idem:
Arbiter is nobis æquus & ultor erit.
Sed quid ego hæc? tristi coniux turbata dolore,
Infausta funus Martis in vrbe parit:
Dum profugo pede Frischlinus quæro hospita Musæ
Limina, Nobilium me perimente choro.
Nam caput in nostrum totus conspirat Auernus:
O vbi cunctator Christe moraris opem?
Aspice, quam sæui feriant mea carbasæ venti:
Et puppi appare portus & aura meæ.
Ite meæ teneræ, quò ducunt fata, puellæ,
Heu pressum toties turba secuta patrem.
I tu: febricitans ægros comitare parentes,
O Catharina, animi plurima cura mei.
At tu Marpurgum per tot tua lumina flore:
Cui, quod vix possum dicere, dico vale.

ELEGIA, AD IOANNEM MAIOREM,

Marxologopoëtastrum:

ERgo in te furia tantum potuere, maligne
Maior: Auernalis flumine tincte lacus:
Vt malè deserto primùm diuersa Luthero,
Sis ausus reprobo pectore castra sequi:
Teq; Melanthoniæ velares tegmine laræ:
Quem Caluincolam qui negat, astra negat.
Pòst iterum Augusti nouus Electoris amore,
Dixisti Beza crimina facta tuo:
Scilicet vt posses facinus capitale piare:
Plumbea quandoquidem cusa moneta tibi.
Ausus quinetiam Concordi postea libro
Nomen, & infidas apposuisse manus:
Plurima cum doctæ dixisses probra cateruæ:
Nunc animum mutas, sicut & antè pilos.
Infaustum Verrumne peri mortalibus omen:
Nil mihi sit tecum: scurra nefande peri.
A me nulla bono conuicia facta Phiippo:
Quod Caluinismi scribitur esse reus.

Quipò

Quippe ego nec Bezae fixi, nec triste Philippo
Theta; suo linquens iudici utrunque Deo.
Maior honos illi per me, quam, verbero, per te:
Iulius ut testis, Prisciadesque meus.
Quid? tun pro tetro, Maior, tibi crimine ducis,
Quando Melanthonium te mea Musa facit?
At non in caput hoc, venit vlla calumnia nostrum,
Si qua Lutheranum me bona lingua vocet.
Quod si carnificem posthac armabis in omnes,
Qui Caluinicolas teque tuosque canunt:
Nulla rotas, furcasque; tibi satis vna parabit
Misia; quid rugas tempora, turpis anus?
Sueuus sum, fateor; sed qui te Saxona possum
Certa Grammaticos arte docere sonos:
Et male tornatos incudi reddere versus
Te doceo e nostris, vane Poeta, libris.
Hoc si non credis, nostrum percurrere libellum;
Vestris oppositum versibus, atque minis.
Rem tamen hic Romae gratam facis, euge Poeta;
Quod latro in furcam meque meosque; leuas.
Nam tibi quae referet Romanus praemia Sixtus:
Quem tu Antichristum cum Babylone vocas?
Scilicet est maius, Caluini nomine dici,
Quam Christum contra nomen habere, nefas?
Descende in te met: qui si tibi debita dudum
Aufferes, coruis pluribus esca fores.
Sed nihil est mirum, te nobis arma minari:
Fecit idem Thomas, propater ille tuus.
Cui pariter nomen dedit haud sincera moneta:
O quam lactucas labra habuere pares?
Illi seditio cordi: te instigat Erynnis
Bella parare homini, bella parare Deo.
Perge ita: qui Thomam tulit ingens exitus olim,
Hic tua mox poterit caepta nefanda sequi.

F I N I S.